c quid coquendum ſit quod ipſis cõferat. In ſumma, galla utendum quoties opus eſt adſtrictione & exiccatione.

EX GALENO.

Quercus omnes partes adſtrictoriæ facultatis particípes ſunt. Sed plus tamẽ quę in trunci cortice membrana ſubeſt, tum quę ſub glandis putamine, ea uidelicet quę fructus carnem conueſtit. Quamobrẽ ad fluxum muliebrem, ſanguinis expuitiones, uentriſq; diuturnos fluxus, cõmodam eſſe credunt. Maximè uerò ea utunt decocta. Siquidem ego quandoq; glutinaſſe me uulnus memini ſecuri inflictũ, quum nullum ad manum eſſet medicamentũ præter ipſius Quercus folia. Terebam uerò in leui ſaxo, & uulnus cum circumiacentibus locis illinebam. Eandem foliis uim habet & fructus Quercus, eoq; medici nõnulli ad incipientes, & creſcentes phlegmonas utuntur. Nam quæ iam uehementes ſunt, adſtringentibus haud indigent. Galla quæ omphacitis nuncupatur, admodum acerbum eſt medicamentũ, plurimum terrenæ & frigidę ſubſtantię particeps, per quam deſiccat & reprimit fluxiones: adhæc conſtringit contrahitq; partes laxas ac languidas, omnibusq; fluxionũ affectib. ſtrenuè reſiſtit. Eſto uerò tertij in deſiccando, ſecundi autem in refrigerãdo ordinis. Altera autem galla, flaua, laxa, & magna, exiccat quidem etiam ipſa, ſed tanto, quanto acerbæ qualitatis minus eſt particeps. Cocta itaq; ipſa per ſe, ac deinde trita cataplaſma non inſtrenuum eſt ſedis phlegmonarũ, ac procidentiarum. Porrò coquenda eſt in aqua, ſi modica opus ſit adſtrictione: ſin uehementiore in uino. Et ſi augere inſuper adſtrictionem ſit opus, uino etiam utare auſteriore. Deniq; gallæ combuſtæ ſanguinis reprimendi facultatem acquirunt, ac nimirum etiam calorem & acrimoniam ex uſtione aſſumunt, ſuntq; ijs quæ ignem non expertæ fuerint, tum ſubtiliorum partiũ, tum maiore deſiccandi poteſtate. Cęterum quum ad ſanguinis ſuppreſsionem præparare eas uoles, carbonibus impoſitas dum undequaq; candeant, aceto aut uino extinguere oportebit.

Vſta acrimoniã aſſumunt.

D

EX SYMEONE SETHI.

Glandes difficilis ſunt coctionis, & ualde nutriũt, tardius deſcendunt, crudosq; humores generant, propterea q; illarum uſum deuitari præcipimus.

DE DAVCO▸ CAP▸ LXXXV▸

NOMINA.

ΔΑΥΚΟΣ græcè, Daucus latinè nominatur. Officinæ alijs & adulterinis herbis ſub hoc nomine utuntur. Germanicas appellationes in generũ explicatione indicabimus.

GENERA.

Dioſcorides tria Dauci cõmemorat genera. Primum Creticum daucum uocat.

Berwurtz cur dicta. Germanis **Berwurtz**/ propter capillatam radicem, aut quia uteri dolorem, qui ipſidem **Bermůter** appellatur, ſanat. Alterum nomine peculiari caret, foliis Laſerpitio ſimile, Germanis **weiß Hirtzwurtz** dicitur. Tertium genus itidem nomine deſtituitur proprio, Germanis autem nonnullis **ſchwartze Hirtzwurtz** nominatur.

FORMA.

Creticus daucus Creticus daucus folia Fœniculo ſimilia habet, minora tamẽ & tenuiora. Caulem dodrantalem, umbellam Coriandro ſimilem. Flores candidos, & poſt hos ſemen acre, candidum, hirſutum, & in cõmanducando odoratum. Radicem craſsitudine digitali, & longitudine dodrantali. Omnes huius deſcriptionis notę, herbæ quam **Berwurtz** Germani uocant conuenire ad unguem uidentur, una duntaxat excepta: ſiquidem ſemen non eſt hirſutum. Sed quum omnia alia, atqueadeò facultates etiam ipſę reſpondeãt, nõ eſt cur una hæc nota nos impediat, cur minus Creticũ daucum credamus, aut ſaltem Germanicũ qui Cretico per omnia reſpondeat. Vel ſi prorſus alicui non ſatisfaciunt, quæ diximus, dicat planè hanc herbam eſſe Seſeli Creticum,